

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA VIII. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 7. v. 15 -- 23.

EXORDIUM.

Cum Israëlita è captivitate Babylonica reduces collapsam Hierosolimam cum templo ædificare inciperent, vicini Ethnici congregati sunt ut irritam facerent structuram. Verùm Nehemias excubias egit, & ordinavit, ut alterâ manu opus facerent, & alterâ tenerent telum, Nehem. 4. v. 7. 17.

Hanc historiam *sensu mystico* interpretabimur.

Omnes veri Christiani spirituales Israëlita vocari possunt. Non enim omnes, qui ex Israel sunt, hi sunt Israëlita, neque qui semen sunt Abraham, omnes filii: sed in Isaac vocabitur tibi semen, i. e. non qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine, Rom. 9. v. 7. 8.

Quemadmodum igitur Israëlita alterâ manu telum tenere cogebantur, ne hostes vicini impetum facerent, alterâ verò manu opus faciebant: Ita & Christianismus noster in duobus versatur: ut oderimus malum & adhæreamus bono, Rom. 12. v. 9. h. e. adversus Diabolum, mundum & carnem nostram strenuè pugnare tenemur, qui nobis varia impedimenta objicientes, viam ad cælum intercludere satagunt: ex adverso verò temperanter, justè & piè vivamus in hoc seculo, Tit. 2. v. 11. id vocat Apostolus bonam militarem militiam, habere fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 19.

Præmissis quia Diabolus hâc ultima ætate magnam habet iram, Apoc. 12. v. 12. ablegando Pseudo-Prophetas magno numero, in quorum ore Spiritus mendax futurus est, 1. Reg. 22. v. 22. efficacibus erroribus seducturus eos, qui à veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur, 2. Tim. 4. v. 4. Nostrum sanè erit gladiis spiritualibus instructus esse, quibus falsis Prophetis non modò resistamus, qui nil nisi fel Draconum eruant, Deut. 32. v. 33. sed & omnem naveamus operam, ut nos superædificemus sanctissimæ fidei, in Spiritu sancto, Jud. 5. 26. tum & in omni opere bono fructificemus, Col. 1. v. 10. quò alii id videant, glorificantes Patrem, qui in cælis est, Matth. 5. v. 16.

Eò quoque spectat admonitio Christi in prælecta Pericope, ubi non saltem ratione Pseudo-Prophetarum præmonemur, sed & ad vitam juxta voluntatem Dei componendam, stimulamur, si in Regnum cælorum pervenire velimus.

Nos sine prolixiori præloquio videbimus:

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

JJ.

Exegesis.

Cum Johannes Fridericus Dux Saxonix, A. C. 1534. templum ornatissimum